

ELEGIA I

Divitias alias fulvo sibi congerat auro, 1
 Et teneat culti iugera magna soli,
 Quem labor adsiduus vicino terreat hoste,
 Martia cui somnos classica pulsa fugent.
 Me mea paupertas vitae traducat inertii,
 Dum meus adsiduo luceat igne focus.
 Ipse seram teneras maturo tempore vites
 Rusticus, et facili grandia poma manu.
 Nec spes destituat, sed frugum semper acervos
 Praebeat, et pleno pinguia musta lacu. 10
 Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
 Seu vetus in trivio florida serta lapis.
 Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
 Libatum agricolae ponitur ante Deos.
 Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona 15
 Spicea, quae templi pendeat ante fores.
 Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
 Terreat ut saeva falce Priapus aves.
 Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
 Custodes, fertis munera vestra lares. 20
 Tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos,
 Nunc agna exigui est hostia parva soli.
 Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
 Clamet, io messes, et bona vina date.
 Iam modo non possum contentus vivere parvo, 25
 Nec semper longae deditus esse viae:
 Sed canis aestivos ortus vitare sub umbra
 Arboris, ad rivos praetereuntis aquae.
 Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,
 Aut stimulo tardos increpusse boves. 30
 Non agnamve sinu pigeat, fetumve capellae
 Desertum oblita matre referre domum.
 At vos, exiguo pecori, furesque, lupique
 Parcite. de magno est praeda petenda grege.
 Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis,
 Et placidam soleo spargere lacte Palest. 35

2 magna: multa Sta. *cods.* **6** adsiduo: exiguo *cods.* asiduo A₁ assiduo Cyll. **12** florida: florea *Sf. alter Vat.* **14** agricolae... Deos: agricolam... Deum *Col.* agricolae deum *cods.* agricolae Deo A₂ Mur. **18** ut: et *cod.* **24** clamet: Sta. clamat *cods.* **29** bidentem: bidentes *cods.* **31** agnamve ... pigeat... fetumve: agnamque... pudeat... fetumque *cods.* agnamve... pigeat... foetumve A₁ A₂ Cyll. Mur. **34** de magno est: de magno *cods.* **36** Palest: Palen *cods.* palem Cyll.

Adsitis divi, nec vos e paupere mensa
 Dona, nec e puris spernite fictilibus.
 Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
 Pocula, de facili compositque luto. 40
 Non ego divitias patrum, fructusque requiro,
 Quos tulit antiquo condita messis avo.
 Parva seges satis est: satis est requiescere lecto,
 Scilicet et solito membra levare toro.
 Quam iuvat immites ventos audire cubantem, 45
 Et dominam tenero continuisse sinu,
 Aut, gelidas hibernus aquas cum fuderit auster,
 Securum somnos, igne iuvante, sequi.
 Hoc mihi contingat. sit dives iure, furorem
 Qui maris, et tristes ferre potest pluvias. 50
 O, quantum est auri, pereat, potiusque smaragdi,
 Quam float ob nostras ulla puella vias.
 Te bellare decet terra, Messalla, marique,
 Vt domus hostiles paeferat exuvias.
 Me retinent vinctum formosae vincla puellae: 55
 Et sedeo duras ianitor ante fores.
 Non ego laudari cupio, mea Delia: tecum
 Dummodo sim, quaeso segnis, inersque vocer.
 Te spectem, suprema mihi cum venerit hora,
 Et teneam moriens deficiente manu. 60
 Flebis, et arsuro oppositum me Delia lecto,
 Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.
 Flebis: non tua sunt duro praecordia ferro
 Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.
 Illo non iuvenis poterit de funere quisquam 65
 Lumina, non virgo sicca referre domum.
 Tu manes ne laede meos, sed parce solutis
 Crinibus, et teneris Delia parce genis.
 Interea, dum fata sinunt, iungamus amores.
 Iam veniet tenebris mors adoperta caput. 70
 Iam subrepet iners aetas, nec amare decebit,
 Dicere nec cano blanditiis capit.
 Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes
 Non pudet, et rixas inseruisse iuvat.
 Hic ego dux, milesque bonus. vos signa, tubaeque 75
 Ite procul, cupidis vulnera ferte viris.
 Ferte et opes. ego composito securus acervo
 Dites despiciam, despiciamque famem.

37 nec vos e paupere: neu vos de paupere *cods.* neu vos e paupere A₁ Cyll. **44** levare: referre *cod.* **48** igne: imbre *cods.* **51** pereat potiusque: potius, pereatque *cod.* pereant, potiusque Sta. **57** cupio: curo *cods.* **60** et: te *cods.* **64** vincta: iuncta *cods.* victa Cyll. **72** capit: capite *cods.* Sta. **78** dites despiciam: despiciam dites *cods.*

ELEGIA II

Adde merum, vinoque graves compesce dolores,
1
Occupet ut fessi lumina victa sopor:
Neu quisquam multo perfusum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requiescit amans.
Nam posita est nostrae custodia saeva puellae.
5
Clauditur et dura ianua firma sera.
Ianua difficilis dominae, te verberet imber,
Te lovis imperio fulmina missa petant.
Ianua iam pateas uni mihi victa querellis,
Nec furtim verso cardine aperta sones.
10
Et mala si qua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas: capiti sint precor illa meo.
Te meminisse decet, quae plurima voce peregi
Supplice, cum posti florida serta darem.
Tu quoque ne timide custodes Delia falle.
15
Audendum est. fortis adiuvat ipsa Venus.
Illa favet, seu quis iuvenis nova limina temptat,
Seu reserat fixo dente puella fores.
Illa docet furtim molli decedere lecto,
Illa pedem nullo ponere posse sono:
20
Illa viro coram nutus conferre loquaces,
Blandaque compositis addere verba notis.
Nec docet hoc omnes, sed quos nec inertia tardat,
Nec vetat obscura surgere nocte timor.
En ego cum tenebris tota vigor anxius urbe,
25
Securum in tenebris me facit ipsa Venus.
Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta praemia veste petat.
Quisquis amore tenetur, eat tutusque, sacerque
Qualibet. insidias non timuisse decet.
30
Non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis,
Non mihi, cum multa decidit imber aqua.
Non labor hic laedit, reseret modo Delia postes,
Et vocet ad digitii me tacitura sonum.
Parcite luminibus seu vir, seu femina fias
35
Obvia. celari vult sua furta Venus.

1 graves: novos *cods.* Cyll. **3** perfusum: Sta. percussum *cods.* **4** amans: amor *cods.* A₁ Cyll. **6** firma:
fulta *cods.* **7** dominae: domini *cods.* **10** nec: neu *cods.* **13** te: et *cods.* **14** darem: dabam *Sf.* **17**
iuvenis: iuvenum *cods.* **19** decedere: discedere *cod.* **21** conferre: proferre *cods.* **22** addere: abdere Sta.
cods. reddere *cods.* **23** decet: docet *cods.* **26** securum in tenebris me facit ipsa Venus: non mihi nocte
sopor, non mihi nocte quies *cods.* ille deus certae dat mihi signa viae *cods.* ipse deus certae dat mihi signa
viae Sta. usque meum custos ad latus haeret amor Po. praesidio noctis sentio adesse deam *Sf.* **30**
qualibet: quolibet *cods.* qua libet A₁ non: nec *Sf.* **34** tacitura: tacitura *Vat.* **35** fias: fiat *cod.*

Neu strepitu terrete pedum: neu quaerite nomen,
 ...Neu prope fulgenti lumina ferte face.
 Si quis et imprudens adspexerit, occulat ille,
 Perque deos omnes se meminisse neget. 40
 Nam fuerit quicumque loquax, is sanguine natam,
 Is Venerem e rapido sentiet esse mari.
 Nec tamen huic credet coniux tuus, ut mihi verax
 Pollicita est magico saga ministerio.
 Hanc ego de caelo ducentem sidera vidi:
 Fluminis haec rapidi carmine vertit iter. 45
 Haec cantu finditque solum, manesque sepulchris
 Elicit, et tepido devocat ossa rogo.
 Iam ciet infernas magico stridore catervas:
 Iam iubet, adspersas lacte, referre pedem.
 Cum libet, haec tristi depellit nubila caelo:
 Cum libet, aestivo provocat orbe nives.
 Sola tenere malas Medeae dicitur herbas,
 Sola feros Hecates perdomuisse canes.
 Haec mihi composituit cantus, quis fallere posses:
 Ter cane, ter dictis despue carminibus. 55
 Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam.
 Non sibi, si in molli viderit esse sinu.
 Tu tamen abstineas aliis. nam cetera cernet
 Omnia: de me uno sentiet esse nihil. 60
 Quid credam. nempe haec eadem se dixit amores
 Cantibus, aut herbis soluere posse meos.
 Et me lustravit taedis, et nocte serena
 Concidit ad magicos hostia pulla deos.
 Non ut totus abesset amor, sed mutuus esset,
 Orabam: nec te posse carere velim. 65
 Ferreus ille fuit, qui, te cum posset habere,
 Maluerit praedas stultus, et arma sequi.
 Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,
 Ponat et in capto martia castra solo: 70
 Totus et argento contextus, totus et auro,
 Insideat celeri conspiciendus equo:

37 neu strepitu: ne strepitu *cods.* A₁ **39** si quis: si quid *Mar. Vat.* si quis A₁ A₂ *Cyll.* **42** sentiet: sentiat *cods.* A₁ *Cyll.* **44** pollicita: sollicita *Vat.* **46** fulminis: fluminis *cods.* *Cyll.* *Mur.* A₃, *Sta.* **47** finditque: fuditque *Sf.* **49** ciet: tenet *cods.* **52** aestivo provocat orbe: aestivas convocat ore *cods.* *Sta.* **53** herbas: artes *cods.* **56** despue: expue *cods.* expue *Cyll.* **58** esse sinu: ipse toro *cods.* A₁ *Cyll.* **59** tamen: tantum *cods.* *Cyll.* **60** esse: ipse *cods.* *Cyll.* *Mur.* ille *cods.* **62** solvere: fallere *cod.* **65** ut: ego *Vat. Sf.* *Cyll.* A₁ **67** posset: possit *cods.* A₁ **71** contextus: contextus *cod.*

Ipse boves mea si tecum modo Delia possim
 lungere, et insolito pascere monte pecus,
 Et te dum liceat teneris retinere lacertis,
 Mollis, et inculta sit mihi somnus humo.
 Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
 Prodest. cum fletu nox vigilanda venit.
 Nam neque tum plumae, nec stragula picta soporem,
 Nec sonitus placidae ducere posset aquae.
 Non Veneris magnae violavi numina verbo,
 Et mea nunc poenas impia lingua luit.
 Non feror incaestus sedes adiisse deorum,
 Sertaque de sanctis eripuisse focis.
 Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
 Et miserum sancto tundere poste caput.
 Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
 Et dare sacratis oscula luminibus.
 At tu, qui laetus rides, mala nostra caveto.
 Mox tibi non vanus saeviet ipse Deus.
 Vidi ego, qui iuvenum miseros lusisset amores,
 Post Veneris vincis subdere colla senem,
 Et sibi blanditas tremula componere voce,
 Et manibus canas fingere velle comas.
 Stare nec ante fores puduit, caraeve puellae
 Ancillam medio detinuisse foro.
 Hunc puer, hunc iuvenis turba circumstetit arta:
 Despuit in mollis et sibi quisque sinus.
 At mihi parce Venus. semper tibi dedita seruit
 Mens mea. quid messes uris acerba tuas.

75

80

85

90

95

100

73 si tecum modo: modo sim tecum *cod.* **74** insolito: in solito *cod.* Cyll. Mur. **75** dum: cum *Sf.* **76** et
 inculta: in inculta *Sta. cōds.* **77** toro: solo *Sf.* **81** non: num *cōds.* *A₁* Cyll. Mur. **82** et... luit: et... tulit
cōds. ut... luat *cōds.* et... luit? *A₁* Cyll. Mur. **83** non: num *cōds.* *A₁* Cyll. Mur. *Sta.* **85** 85-86-87-88: 87-
 88-85-86 *cōds.* Cyll. *A₁* **86** sancto: tacto *Sf.* **90** vanus: unus *cōds.* ipse: usque *cōds.* *A₁* Cyll. **91**
 iuvenum: iuvenem *cōds.* lusisset: laesisset *Sf.* **97** circumstetit arta: circumterit atra *cōds.* circumstetit arcta
A₁ A₂ Mur. circumterit arcta Cyll. **99** dedita: *Sta.* debita *Sf.*

ELEGIA III

Ibitis Aegeas sine me, Messalla, per undas, 1
 O utinam memores ipse, cohorsque mei.
 Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris.
 Abstineas avidas mors precor atra manus.
 Abstineas mors atra precor. non hic mihi mater, 5
 Quae legat in maestos ossa perusta sinus,
 Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores,
 Et float effusis ante sepulchra comis:
 Delia non usquam: quae me cum mitteret urbe,
 "Dicitur ante omnes consuluisse deos. 10
 Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi
 Rettulit e triviis omnia certa puer.
 Cuncta dabant redditum. tamen est deterrita numquam,
 Quin fleret, nostras respiceretque vias.
 Ipse ego solator, cum iam mandata dedissem, 15
 Quaerebam tardas anxius usque moras.
 Aut ego sum causatus, aves dant omina dira,
 Saturni sacram me tenuisse diem.
 O quoties ingressus iter, mihi tristia dixi
 Offensem in porta signa dedissem pedem. 20
 Audeat invito ne quis discedere amore,
 Aut sciat egressum se prohibente deo.
 Quid tua nunc Isis tibi Delia. quid mihi prosunt
 Illa tua totiens aera repulsa manu.
 Quidve pie, dum sacra colis, pureque lavari 25
 Te memini, et puro secubuisse toro.
 Nunc dea, nunc succurre mihi. nam posse mederi
 Picta docet templis multa tabella tuis.
 Vt mea votivas persolvens Delia voces
 Ante sacras lino tecta fores sedeat, 30
 Bisque die, resoluta comas, tibi dicere laudes
 Insignis turba debeat in Pharia.
 At mihi contingat patrios celebrare penates,
 Reddereque antiquo menstrua tura lari.
 Quam bene Saturno vivebant rege prius, quam 35
 Tellus in longas est patefacta vias.

3 terris: tellus Sta. **4** mors precor atra: mors modo nigra *cods.* mors violenta A₁ Cyll. **11-12** illi... omnia: ille... omina *cods.* **13** redditum: reditus *cods.* A₁ redditus Cyll. **13** numquam: nusquam *cods.* nunquam A₁ A₂ tamen: tantum Sta. **14** quin fleret: quam fleret *cods.* cum fleret *cods.* quom flecteret Cyll. **18** Saturni sacram: Saturni aut sacram *cods.* Mur. tenuisse: timuisse *cods.* **23** tibi: mihi *cods.* Mur. **26** memini: (memini) Sta. memini. *cods.* A₃ memini, A₁ A₂ Mur. memini: Cyll. **29** ut: et *Sf.* **33** at: ac *Vat.* fac *Vat. in margine* **34** tura: thura A₁ A₂ Cyll.

Non dum caeruleas pinus contempserat undas,
 Effusum ventis praebueratque sinum,
 Nec vagus ignotis repetens compendia terris
 Presserat externa navita merce ratem. 40
 Illo non validus subiit iuga tempore taurus,
 Non domito frenos ore momordit equus.
 Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
 Qui regeret certis finibus arva lapis.
 Ipsae mella dabant quercus, ultiroque ferebant
 Obvia securis ubera lactis oves. 45
 Non acies, non ira fuit, non bella, nec enses
 Inmiti saevus duxerat arte faber.
 Nunc love sub domino caedes, et vulnera semper.
 Nunc mare, nunc leti mille repente viae. 50
 Parce, pater. timidum non me periuria terrent,
 Non dicta in sanctos impia verba deos.
 Quod si fatales iam nunc explevimus annos,
 Fac lapis inscriptis stet super ossa notis:
 Hic iacet inmiti consumptus morte Tibullus, 55
 Messallam terra dum sequiturque mari.
 Sed me, quod facilis tenero sum semper amori,
 Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
 Hic choreae, cantusque vigint, passimque vagantes
 Dulce sonant tenui gutture carmen aves, 60
 Fert casiam non culta seges, totosque per agros
 Floret odoratis terra benigna rosis.
 Ac iuvenum series teneris inmixta puellis
 Ludit, et adsidue proelia miscet Amor.
 Illuc est cuicumque rapax mors venit amanti,
 Et gerit insigni myrtlea serta coma. 65
 At scelerata iacet sedes in nocte profunda
 Abdita, quam circum flumina nigra sonant.
 Tisiphoneque inpexa feros pro crinibus angues
 Saevit, et huc illuc impia turba fugit. 70
 Tum niger in turba serpentum Cerberus ore
 Stridet, et aeratas excubat ante fores.

47 enses: ensem *cods.* Mur. **49** et vulnera: nunc vulnera *cods.* Col. **55** morte: Marte *Sf.* **58** in Elysios: ad Elysios *Sf.* in elysios A₁ A₂ ad helysios Cyll. **63** ac iuvenum series: hic iuvenum series *Col.* ac series iuvenum *Sf.* **69** inpexa: inpexa A₁ A₂ Cyll. Mur. inplexa Sta. **71** tum: hic *cud.* nunc Cyll. in turba: in porta *cuds.* Cyll. **72** stridet: stridit Sta.

Illic Iunonem temptare Ixionis ausi
 Versatur celeri noxia membra rota,
Porrectusque novem Titius per iugera terrae,
 Adsiduas atro viscere pascit aves.
Tantalus est illic, et circum stagna: sed acrem
 Iam iam poturi deserit unda sitim.
Et Danai proles, Veneris quod numina laesit,
 In cava Lethaeas dolia portat aquas.
Illic sit quicumque meos viovalit amores,
 Optavit lentas et mihi militias.
At tu casta precor maneas, sanctique pudoris
 Adsideat custos sedula semper anus.
Haec tibi fabellas referat, positaque lucerna
 Deducat plena stamina longa colo:
At circa gravibus pensis affixa puella
 Paulatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subito: nec quisquam nuntiet ante,
 Sed videar caelo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
 Obvia nudato Delia curre pede.
Hoc precor hunc illum nobis aurora nitentem
 Luciferum roseis candida portet equis.

74 versatur: versantur *cods.* A₂ Cyll. Mur. Sta. **79** quod: quae *cods.* Cyll. **89** nec: ne *Flo.* **93** hoc: haec *cod.* hunc Sta. **93** nitentem; rubentem *cods.*

*AD PRIAPUM.**ELEGIA IV*

Sic umbrosa tibi contingent tecta, Priape, 1
 Ne capiti soles, ne noceantque nives,
 Quae tua formosos cepit sollertia certe
 Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est.
 Nudus, et hibernae producis frigora brumae, 5
 Nudus et aestivi tempora sicca canis.
 Sic ego, tum Bacchi respondit rustica proles
 Armatus curva sic mihi falce deus.
 O fuge te tenerae puerorum credere turbae.
 Nam causam iusti semper amoris habent. 10
 Hic placet, angustis quod equum compescit habenis:
 Hic placidam niveo pectore pellit aquam:
 Hic, quia fortis adest audacia, cepit: at illi
 Virgineus teneras stat pudor ante genas.
 Sed ne te capiant, primo si forte negabit, 15
 Taedia, paullatim sub iuga colla dabit.
 Longa dies homini docuit parere leones.
 Longa dies molli saxa peredit aqua.
 Annus in apricis maturat collibus uvas.
 Annus agit certa lucida signa vice. 20
 Nec iurare time. Veneris periuria venti
 Inrita per terras, et freta summa ferunt.
 Gratia magna lovi. vetuit pater ipse valere,
 Iurasset cupide quidquid ineptus amor.
 Perque suas impune licet Dictynna sagittas 25
 Adfirmes, crines perque Minerva suos.
 At, si tardus eris, errabis, transiet aetas.
 Quam cito non segnis stat, remeatque dies.
 Quam cito purpureos deperdit terra colores.
 Quam cito formosas populus alta comas. 30
 Quam iacet, infirmae venere ubi fata senectae,
 Qui prior Elaeo est carcere missus, equus.
 Vidi iam iuvenem, premeret cum senior aetas,
 Maerentem stultos praeteriisse dies.
 Crudeles divi, serpens novus exuit annos. 35
 Formae non ullam fata dedere moram.

15 sed ne te: sed te ne *Sf.* **25** Dictynna: Diana *cods.* dictynna A₁ dictyna Cyll. **28** stat: it *Col.* **30** alta: alba *cods.* **34** stultos: celeres *cod.* **35** exuit: exuat *Sf.* **36** non ullam: non illam *cods.* Cyll.

Solis aeterna est Phoebo, Bacchoque iuventa:
 Nam decet intonsus crinis utrumque deum.
 Tu, puer quodcumque tuo temptare libebit,
 Cedas. obsequio plurima vincit amor. 40
 Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur,
 Et canis arenti torreat arva siti.
 Quamvis praetexens picta ferrugine caelum
 Venturam admittat imbrifer arcus aquam.
 Vel si caeruleas puppi volet ire per undas, 45
 Ipse levem remo per freta pelle ratem.
 Nec te paeniteat duros subiisse labores,
 Aut operi insuetas atteruisse manus.
 Nec, velit insidiis altos si claudere valles,
 Dum placeas, umeri retia ferre negant. 50
 Si volet arma, levi temptabis ludere dextra:
 Saepe dabis nudum, vincat ut ille, latus.
 Tunc tibi mitis erit: rapias tum cara licebit
 Oscula: pugnabit, sed tamen apta dabit.
 Rapta dabit primo, post offeret ipse volenti, 55
 Post etiam collo se implicuisse volet.
 Heu, male nunc artes miseras haec saecula tractant.
 Iam tener adsuevit munera velle puer.
 Iam tu, qui Venerem docuisti vendere primus, 60
 Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.
 Pieridas pueri, doctos et amate poetas,
 Aurea nec superent munera Pieridas.
 Carmine purpurea est Nisi coma: carmina ni sint,
 Ex umero Pelopis non nituisset ebur.
 Quem referent Musae, vivet, dum robora tellus, 65
 Dum caelum stellas, dum vehet amnis aquas.
 At, qui non audit Musas, qui vendit amorem,
 Idaeae currus ille sequatur Opis.
 Et tercentenas erroribus expleat urbes,
 Et secat ad Phrygios vilia membra modos. 70
 Blanditiis vult esse locum Venus ipsa: querellis
 Supplicibus, miseris flentibus illa favet.

37 Phoebo, Baccoque: Bacco Phoeboque *cods.* phoebo bacchoque A₁ Cyll. **40** cedas: credas *cods.* A₁
43 picta: Sta. picea *Col.* **44** admittat: amiciat *cods.* *Sf.* annuntiet *W* **47** subiisse: obiisse *cod.* **48** operi:
 opera *Sf.* *W* operae Sta. atteruisse: attenuasse *Vat. in margine* A₁ Cyll. **49** altos: altas *cods.* Cyll. Mur.
50 umeri: umeris *cods.* humeri A₁ A₂ humeris Cyll. Mur. negant: nege *cods.* A₁ Cyll. Mur. **55** post:
 mox *Col.* *Sf.* offeret: adferat *cods.* offerret Cyll. ipse: ipsa *cod.* *Sf.* volenti: roganti *cods.* **56** volet: velit
cods. **59** iam tu, qui: at tibi *Vat. s.l.* at tu qui *Mar. s.l.* **69** expleat: explicet *Col.* impleat *W.*

Haec mihi, quae canerem Titio, Deus edidit ore:
 Sed Titium coniux haec meminisse vetat.
 Pareat ille suae. vos me celebrate magistrum, 75
 Quos male habet multa callidus arte puer.
 Gloria cuique sua est. me, qui spernentur amantes,
 Consultant, cunctis ianua nostra patet.
 Tempus erit, cum me, Veneris praecepta ferentem,
 Deducat iuvenum sedula turba senem. 80
 Eheu quam lento Marathus me torquet amore.
 Deficiunt artes, deficiuntque doli.
 Parce puer quaeso, ne turbis fabula fiam,"
 Cum mea ridebunt vana magisteria.

79 ferentem: canentem *Flo.* **80** dederat: diludat *Col. Sf.* **81** eheu: heu heu *cods.* *Cyll.* *Sta.* **83** turbis:
turpis *Sta.* *Col.* *Flo.* *W.*

ELEGIA V

Asper eram, et bene discidium me ferre loquebar: 1
 At mihi nunc longe gloria fortis adest.
 Namque agor, ut per plana citus sola verbere turben,
 Quem celer adsueta versat ab arte puer.
 Vre ferum, et torque, libeat nec dicere quidquam 5
 Magnificum, post haec horrida verba doma.
 Parce tamen: per te furtivi foedera lecti,
 Per Venerem quaequo, compositumque caput.
 Ille ego, cum tristi morbo defessa iaceres,
 Te dico votis eripuisse meis. 10
 Ipseque ter circum lustravi sulphure puro,
 Carmine cum magico praecinuisset anus.
 Ipse procuravi, ne possent saeva nocere
 Somnia, ter salsa deveneranda mola.
 Ipse ego, velatus filo, tunicisque solutis, 15
 Vota novem Veneri nocte silentie dedi.
 Omnia persolvi: fruitur nunc alter amore,
 Et precibus felix utitur ille meis.
 At mihi felicem vitam, si salva fuisses,
 Fingebam demens, sed renuente deo. 20
 Rura colam, frugumque aderit mea Delia custos,
 Area dum messes sole calente teret.
 Aut mihi servabit plenis in lintribus uvas,
 Pressaque veloci candida musta pede:
 Consuisset numerare pecus, consuisset amantis 25
 Garrulus in dominae ludere verna sinu.
 Illa deo sciet agricolae pro vitibus uvam,
 Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.
 Illa regat cunctos, illi sint omnia curae,
 Et iuvet in tota me nihil esse domo. 30
 Huc veniet Messalla meus, cui dulcia poma
 Delia selectis detrahet arboribus:
 Et, tantum venerata virum, hunc sedula curet,
 Huic paret, atque epulas ipsa ministra gerat.
 Haec mihi fingebam, quae nunc Caurusque, Notusque 35
 lactat odoratos vota per Armenios.

4 tener: celer A₁ A₂ A₃ Cyll. Mur. **7** per te: Sat. parce *cods.* A₂ Cyll. Mur. **11** ipseque: ipse ego *Flo.* ter: te *Sf. Flo.* **12** praecinuisset: procubuisset *Sf.* pertimuisset *Vat.* praetimuisset. *cod.* **13** ipse procuravi: ipse ego curavi *Flo.* **14** salsa: sancta *cods.* A₁ Cyll. **16** Veneri: Triviae *cods.* *Sf.* veneri Cyll. **23** aut: et *Col.* **24** A₁ candida: pinguia *cods.* *Vat. Mar.* **25** consuerset: consuescat *cods.* Cyll. Mur. **28** pro segete spicas: pro segete et spicas *cods.* **30** et iuvet: adiuvet *cods.* at iuvet *Col. Sta.* **32** detrahet: detrahat *cods.* Cyll. A₁ Mur. **33** hunc: hunc et *Sf. Sta.* huic *Col. Flo.* huc A₁ **35** Caurusque: Eurusque *Sf.*

Saepe ego temptavi curas depellere vino:
 At dolor in lacrimas verterat omne merum.
 Saepe aliam tenui: sed iam, cum gaudia adirem,
 Admonuit dominae, deseruitque Venus. 40
 Tum me discedens devotum femina dixit,
 Et pudet, et narrat scire nefanda mea.
 Non facit hoc verbis: facie, tenerisque lacertis
 Devovet, et flavis nostra puella comis.
 Talis ad Aemonium Nereis Pelea quondam
 Vecta est frenato caerula pisce Thetis. 45
 Haec nocuere mihi, quod adest huic dives amator.
 Venit in exitium callida lena meum.
 Sanguineas edat illa dapes, atque ore cruento
 Tristia cum multo pocula felle bibat.
 Hanc volitent animae circum, sua fata querentes: 50
 Semper et e tectis strix violenta canat.
 Ipsa fame stimulante furens, herbasque sepulchris
 Quaerat, et a saevis ossa relicta lupis,
 Currit et inguinibus nudis, ululetque per urbes,
 Post agat hanc triviis aspera turba canum. 55
 Eveniet, dat signa Deus: sunt numina amanti.
 Saevit et iniusta lege relicta Venus.
 At tu quamprimum sagae praecepta rapacis
 Desere. nam donis vincitur omnis amor.
 Pauper erit praesto tibi, praesto pauper adibit
 Primus, et in tenero fixus erit latere.
 Pauper in angusto fidus comes agmine turbae,
 Subiectque manus, efficietque viam.
 Pauper ad occultos furtim deducet amicos, 60
 Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.
 Heu canimus frustra: nec verbis victa patescit
 Ianua, sed plena est percutienda manu.
 At tu, qui potior nunc es, mea furta caveto:
 Versatur celeri fors levis orbe rotae. 65
 70

37 temptavi: Sta. tentavi A₁ A₂ Cyll. Mur. **41** femina: foemina A₁ A₂ Cyll. **42** et pudet et narrat... mea: et dominae narrat... mea *cods.* et dominae narrat... meae Sta. **43** verbis: herbis Sta. *cods.* **45** Nereis: Nereis quae *cods.* Nereisque *cods.* Nereis quoque Sta. nereis A₂ Cyll. **53** herbasque: escasque *cod.* Mur. **56** hanc triviis: e triviis Sta. *cods.* **57** eveniet: evenient *cod.* **60** nam: non *cods.* amor: amans Col. **61** tibi: nam *Vat.* **65** occultos... amicos: excultos... amantes *cods.* **67** patescit: fatiscit *Sf.* **69** nunc es: vinces *Vat.* caveto: timeto *cods.* **70** fors: sors *cods.*

Non frustra quidam iam nunc in limine perstat
Sedulus, ac crebro prospicit, ac refugit,
Et simulat transire domum, mox deinde recurrit
Solus et ante ipsas excreat usque fores.

Nescio quid furtivus amor parat. utere quaeso,
Dum licet. in liquida nat tibi linter aqua.

75

72 ac crebro... ac refugit: et crebro... atque fugit *cods.* **74** usque: ipse *Sf. Mar. Vat.* **75** nescio: nescis *Col.* **76** nat: iam *Sf. Mar.*

ELEGIA VI

Semper ut inducar, blandos offers mihi vultus: 1
 Post tamen es misero tristis, et asper Amor.
 Quid tibi saevitiae mecum est. an gloria magna
 Insidias homini composuisse deum.
 Iam mihi tenduntur casses, iam Delia furtim 5
 Nescio quem tacita callida nocte fovet.
 Illa quidem tam multa negat: sed credere durum est.
 Sic etiam de me pernegat illa viro.
 Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
 Custodes. eheu nunc premor arte mea. 10
 Fingere tunc didicit caussas, cur sola cubaret,
 Cardine tunc tacito vertere posse fores.
 Tunc sucos, herbasque dedi, quis livor abiret,
 Quem facit impresso mutua dente Venus.
 At tu fallacis coniunx incaute puellae, 15
 Me quoque servato, peccet ut illa nihil,
 Neu iuvenes celebret multo sermone caveto,
 Neve cubet lasso pectus aperta sinu.
 Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
 Ne trahat, et mensae ducat in orbe notas. 20
 Exhibit quam saepe time, seu visere dicet
 Sacra Bonae maribus non adeunda deae.
 At, mihi si credas, illam sequar unus ad aras.
 Tum mihi non oculis sit timuisse meis.
 Saepe, velut gemmas eius, signumque probarem, 25
 Per caussam memini me tetigisse manum.
 Saepe mero somnum peperi tibi: at ipse bibebam
 Sobria supposita pocula victor aqua.
 Non ego te laesi prudens: ignoscet fatenti:
 Iussit Amor. Contra quis ferat arma deos. 30
 Ille ego sum, nec me iam dicere vera pudebit,
 Instabat tota cui tua nocte canis.
 Quid tenera tibi coniuge opus, tua si bona nescis
 Servare. frustra clavis inest foribus:
 Te tenet, absentes alios suspirat amores, 35
 Et simulat subito condoluisse caput.

1 inducar: inducas *Sf.* **5** iam: nam *cods.* *A₁* **8** sic etiam: nam sic et *Col.* **11** tunc: nunc *cods.* *A₁* cur: ut *Col.* *Cyll.* **12** tunc: nunc *cods.* tum *cods.* *Sta.* **16** nihil: minus *cod.* **18** lasso: laxo *cods.* *Cyll.* *Mur.* **20** ne: neu *Sf.* **21** quam: cum (quom) *Sta.* **23** aras: aram *Sf.* **31** nec me iam: nec iam me *Flo.* **34** frustra: a frusta *cods.* *Sta.* ah frustra *A₁* ac frusta *Cyll.* *Sta.*

At mihi servandum credas. non saeva recuso
 Verbera, detrecto non ego vincla pedum.
 Tunc procul absitis, quisquis colit arte capillos,
 Effluit effuso cui toga lapsa sinu: 40
 Quisquis et occurret, ne possit crimen habere,
 Stet procul, aut alia stet procul ante via.
 Sic fieri iubet ipse Deus, sic magna sacerdos
 Est mihi divino vaticinata sono.
 Haec, ubi Bellonae motu est agitata, nec acrem
 Flammam, non amens verbera torta timet,
 Ipsa bipenne suos caedit violenta lacertos,
 Sanguineque effuso spargit inulta deam.
 Statque latus praefixa veru, stat saucia pectus,
 Et canit eventus, quos dea magna monet.
 Parcite, quam custodit amor, violare puellam:
 Ne pigeat magno post didicisse malo.
 Attigerit, labentur opes, ut vulnere nostro
 Sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis.
 Et tibi nescio quas dixit mea Delia poenas. 55
 Si tamen admittas: sit precor illa levis.
 Non ego te propter parco tibi, sed tua mater
 Me monet, atque iras aurea vincit anus.
 Haec mihi te adducit tenebris, multoque timore
 Coniungit nostras clam tacitura manus.
 Haec foribusque manet noctu me affixa, proculque 60
 Cognoscit strepitus me veniente pedum.
 Vive diu mihi, dulcis anus: proprios ego tecum,
 Sit modo fas, annos contribuisse velim.
 Te semper, natamque tuam te propter amabo:
 Quidquid agit, sanguis est tamen illa tuus.
 Sit modo casta, doce, quamvis non vitta ligatos
 Impediat crines, nec stola longa pedes.
 Et mihi sint durae leges, laudare nec ullam
 Possum, quin oculos, adpetat illa meos. 70

40 effluit: et fluit *cod.* lapsa: laxa *cods.* Cyll. **41** possit crimen: crimen possit *cods.* Cyll. Sta. **42** aut alia: atque alia *cods.* Sta. ante alia Sta. aut alia stet Sta. ante via: inde via Sta. antevia Sta. **47** violenta: violata *Sf.* A₁ Cyll. **52** didicisse: tetigisse Sta. **53** attigerit: attigeris *cod.* **58** monet: movet *cods.* Cyll. Sta. **59** mihi te adducit: me deducit *cod.* A₁ Cyll. **66** agit: agat *Sf.* Sta. **69** sint: sunt *cods.* Cyll. **70** possum: possum ego *cods.* A₁ Cyll. possim Mur.

Et, si quid peccasse putor, ducorque capillis
 Inmerito, proprias proripiorque vias.
 Non ego te pulsare velim: sed, venerit iste
 Si furor, optarim non habuisse manus.
 Nec saevo sis casta metu, sed mente fideli
 Mutuus absenti te mihi servet amor.
 Nam quae fida fuit nulli, post victa senecta,
 Dicit inops tremula stamina torta manu,
 Firmaque conductis adnectit licia telis,
 Tractaque de niveo vellere dente putat.
 Hanc animo gaudente vident, iuvenumque catervae
 Commemor aut merito tot mala ferre senem:
 Hanc Venus ex alto flentem sublimis olympos
 Spectat, et, infidis quod sit acerba, monet.
 Haec aliis maledicta cadant. nos, Delia, amoris
 Exemplum cana simus uterque coma.

75

80

85

71-72 putor, ducorque... proripior: puter, ducar... proripiari *cods.* **72** proprias: pronas *cods.* **73** iste: ipse *Vat. Mar.* **77** nam quae: at quae *cods.* A₁ Mur. ast quae Cyll. **80** tractaque... dente putat: textaque... dente parat *Col.* tractaque... ducta putat *cod. Sf.* tractaque... fila parat A₁ Mur. tractaque... ducta parat Cyll. **84** quod: quam *cods.* Mur.

ELEGIA VII

Hunc cecinere diem Parcae, fatalia nentes 1
 Stamina, non ulli dissoluenda deo,
 Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
 Quem tremeret fortis milite victus Atax.
 Evenere, novos pubes Romana triumphos 5
 Vedit, et evinctos bracchia capta duces.
 At te, vicitrices lauros, Messalla, gerentem
 Portabat niveis currus eburnus equis.
 Non sine me est tibi partus honos, tua bella. Pyrene
 Testis, et oceani litora Sanctonici. 10
 Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
 Carmoti et flavi caerulea lympha Liger.
 At te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
 Caeruleus placidis per vada serpis aquis.
 Quantus et aetherio contingens vertice nubes 15
 Frigidus intonsos Taurus arat Cilicas.
 Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
 Alba Palaestino sancta columba Syro.
 Vtque maris vastum prospectet turribus aequor
 Prima ratem ventis credere docta Tyros. 20
 Qualis et arentes cum findit Syrius agros,
 Fertilis aestiva Nilus abundet aqua.
 Nile pater, quanam possum te dicere caussa,
 Aut quibus in terris occuluisse caput.
 Te propter, nullos tellus tua postulat imbres, 25
 Arida nec pluvio supplicat herba Iovi.
 Te canit, atque suum proles miratur Osyrim,
 Barbara Memphiten plangere docta bovem.
 Primus aratra manu sollerti fecit Osyris,
 Et teneram ferro sollicitavit humum. 30
 Primus inexpertae commisit semina terrae,
 Pomaque non notis legit ab arboribus.
 Hic docuit teneram palis adiungere vitem,
 Hic viridem dura caedere falce comam.
 Illi iucundos primum matura sapore 35
 Expressa incolitus uva dedit pedibus.

6 capta: rapta A₁ **7** at te: alte *Sf.* **8** portabat: Sat. portabit *Sf.* niveis: nitidis *cods.* A₁ *Cyll.* **9** tua bella: Terbela Sca. **10** Sanctonici: Santonici *cods.* **12** Carmoti: Carnoti *Sf.* *Vat.* W K **14** caeruleus placidis: caeruleis placidus Sta. **16** arat: alat Mur. **20** Tyros: Tyrus *cods.* **21** findit: scindit *Vat.* W **23** possum: possim *cods.* *Cyll.* **27** proles: pubes *Vat.* W K *Cyll.* A₁ **28** plangere: plaudere *Cyll.* **33** teneram: ternam *cods.* **36** incolitus: inlutis Sta.

Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
 Movit et ad certos nescia membra modos.
 Bacchus et agricolae magno confecta labore
 Pectora tristitiae dissoluenda dedit. 40
 Bacchus et afflictis requiem mortalibus affert,
 Crura licet dura compede pulsa sonent.
 Non tibi sunt tristes curae, non luctus Osyri,
 Sed chorus, et cantus, et levis aptus amor.
 Sed varii flores, et frons, redimita corymbis,
 Fusa sed ad teneros lutea palla pedes. 45
 Et Tyriae vestes, et dulcis tibia cantu,
 Et levis occultis conscientia cista sacris.
 Huc ades, et centum ludos geniumque choreis
 Concelebra, et multo tempora funde mero. 50
 Illius et nitido stillent unguenta capillo,
 Et capite, et collo mollia serta gerat.
 Sic venias hodierna tibi dum turis honoris,
 Liba et Messopio dulcia melle feram.
 At tibi subcrescat proles, quae facta parentis
 Augeat, et circa stet veneranda senem. 55
 Non taceam monumenta viae, quae Tuscula tellus
 Candidaque, antiquo detinet Alba Lare.
 Namque opibus congesta tuis hic glareata dura
 Sternitur, hic apta iungitur arte silex. 60
 Te canit agricola, e magna cum venerit urbe
 Serus, inoffensum rettuleritque pedem.
 At tu, natalis, multos celebrande per annos,
 Candidior semper, candidiorque veni.

40 tristitiae: laetitia *Col.* tristitia *Sta.* **42** compede: cuspide *Vat.* *Flo.* *W* *Cyll.* pulsa: pressa *cods.* **43** non luctus: nec luctus *cods.* *A₁* *Cyll.* nec vultus *Sf.* **44** et levis: lenis et *Mur.* levis et *Flo.* *A₁* *Cyll.* **49** ludos: ludis *Sta.* *Iudes* *Cyll.* **53** hodierna: hodierne *cods.* *Cyll.* *Mur.* *Sta.* dum: dem *cods.* *Sta.* **54** Messopio: Mopsopio *cods.* *Mur.* mopsopio *Cyll.* messopio *A₁* *A₂* **56** veneranda: venerata *Sf.* *Sta.* **57** non taceam: ne taceat *cods.* nec taceant *cods.* nec taceat *Cyll.* **58** alba: arva *cod.* **61** te canit: te canet *Vat.* e magna: magna *cods.* *Sf.* *W* *K* **63** celebrande: celebrare *Sf.* celebrata *W* celebrate *Sta.* **64** veni: redi *Sf.*

ELEGIA VIII

Non ego celari possum, quid nutus amantis,	1
Quidve ferant miti lenia verba sono.	
Nec mihi sunt sortes, nec conscientia fibra deorum:	
Praecinit eventus nec mihi cantus avis.	
Ipsa Venus magico religatum bracchia nodo	5
Perdocuit multis non sine verberibus.	
Desine dissimulare. Deus crudelius urit,	
Quos videt invitatos succubuisse sibi.	
Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos,	
Saepeque mutatas disposuisse comas.	10
Quid fuko splendente comas ornare. quid unguis	
Artificis docta subsecuisse manu.	
Frustra iam vestes, frustra mutantur amictus,	
Ansaque compressos colligat arta pedes.	
Illa placet, quamvis in culto venerit ore,	15
Nec nitidum tarda compserit arte caput.	
Num te carminibus, num te pallentibus herbis	
Devovit tacito tempore noctis anus.	
Cantus vicinis fruges traducit ab agris.	
Cantus et iratae detinet anguis iter.	20
Cantus et e curru lunam deducere temptat,	
Et faceret, si non aera repulsa sonent.	
Quid queror heu misero carmen nocuisse. quid herbas.	
Forma nihil magicis utitur auxiliis.	
Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse	25
Oscula, sed femori conseruisse femur.	
Nec tu difficilis puero tamen esse memento.	
Persequitur poenis tristia facta Venus.	
Munera nec poscas. det munera canus amator,	
Vt foreat molli frigida membra sinu.	30
Carior est auro iuvenis, cui levia fulgent	
Ora, nec amplexus aspera barba terit.	
Huic tu carentes umero suppone lacertos,	
Et regum magnae despiciantur opes.	
At Venus invenit puero concumbere furtim,	35
Dum timet, et teneros conserit usque sinus,	

1 celari possum: celare possum *cods.* caelarim possit A₁ celari possum A₂ Cyll. caelari possum Mur. celarim possit Sta. nutus: vultus Sta. amantis: amoris *Sf.* **4** praecinit: exprimit *Vat².* **6** multis non sine verberibus: Marathum non sine vulneribus *Flo.* **9** nunc: tum *Sf.* **10** saepeque: saepe et *Flo.* **11** comas: genas W Sta. **12** subsecuisse: supposuisse *Vat².* docta manu: doctae manu Sta. **14** ansaque: arctaque A₁ compressos: constrictos A₁ colligat arta: colligat arcta A₂ Mur. adligat arta *cods.* alligat arcta Cyll. colligit arte *Sf.* cogit aluta A₁ **15** illa: ipsa *Flo.* **19** fruges traducit: segetes deducit *Sf.* **21** lunam deducere: deducere lumina *cods.* W Cyll. **26** femori: femini Sta. **29** nec: ne *cods.* A₁ Cyll. **31** levia: mollia *Sf.* Cyll. **32** aspera: hispida W Cyll. Mur. **33** huic tu: huius *Vat².* **35** concumbere: succumbere *Sf. Flo.* **36** timet: tenet *Sf.* conserit: congerit Sta.

Et dare anhelanti pugnantibus umida linguis
 Oscula, et in collo figere dente notas.
 Non lapis hanc, gemmaeque iuvant, quae frigore sola
 Dormiat, et nulli sit cupienda viro. 40
 Heu sero revocatur amor, seroque iuventa,
 Cum vetus infecit cana senecta caput.
 Tum studium formae est, coma cum mutatur, ut annos
 Dissimulet viridi cortice tincta nucis.
 Tollere tunc cura est albos a stirpe capillos, 45
 Et faciem dempta pelle referre novam.
 At tu, dum primi floret tibi temporis aetas,
 Vtere. non tardo labitur illa pede.
 Heu Marathum torques. puero quae gloria victo est.
 In veteres esto dura puella senes. 50
 Parce precor tenero: non illi sartica caussa est,
 Sed nimius luteo copora tingit amor.
 Vel miser, absenti maestas quam saepe querellas
 Conicit, et lacrimis omnia plena madent.
 Quid me spernis, ait. poterat custodia falli, 55
 Ipse dedit cupidis fallere posse Deus.
 Nota Venus furtiva mihi est, ut lenis agatur
 spiritus, ut ne dent oscula raptia sonum.
 Et possum media quamvis obrepere nocte,
 Et strepitu nullo clam reserare fores. 60
 Quid prosunt artes, miserum si spernit amantem,
 Et fugit ex ipso saeva puella toro.
 Vel cum promittit subito, sed perfida fallit,
 Est mihi nox multis evigilanda modis.
 Dum mihi venturam fingo, quodcumque movetur, 65
 Illius credo tunc sonuisse pedes.
 Desistas lacrimare, puer. non frangitur illa,
 Et tua iam fletu lumina fessa tument.
 Oderunt Pholoe, moneo, fastidia divi,
 Nec prodest sanctis tura dedisce focus. 70
 Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes,
 Nescius ultorem post caput esse deum.

40 cupienda: capienda *Sf.* **41** iuventa: iuventas *cods.* **43** formae est: formae *Sf.* cum: tum *cods.* **45**
 tunc: nunc *cods.* **49** heu: seu *cods.* Cyll. torques: torque *cods.* Sta. **51** sartica: sartica *Vat².* rustica *W*
 scutica *cod.* **55** spernis: spernit *cods.* falli: vinci *cods.* **60** strepitu: sonitu *Flo.* **61** prosunt: possunt
cods. A₁ **64** modis: malis *Vat.* *cods.* Cyll. Mur.

Saepe etiam lacrimis fertur risisse dolentis,
Et cupidum fixa detinuisse mora.
Nunc omnis odit fastus, nunc displicet illi
Quaecumque opposita est ianua firma sera.
At te poena manet, nisi desinis esse superba.
Quam cupies votis hunc revocarem diem.

75

73 lacrimis: lacrimas *W K Vat. Flo.* lachrymas *A₁* lachrymis *A₂* Cyll. lacrymis *Mur.* **76** opposita: apposita *Sf.* firma: dura *cods.* *A₁* Cyll. *Mur.* **77** nisi: ni *cods.*

ELEGIA IX

Quid mihi, si fueras miseros laesurus amores,
Foedera per divos clam violanda dabas.
A miser, et si quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis poena venit pedibus.
Parcite, caelestes. aequum est, impune licere
Numina formosis laedere vestra semel.
Lucra petens, habili tauros adiungit aratro,
Et durum terrae rusticus urget opus.
Lucra petituras freta per parentia ventis
Ducunt instabiles sidera certa rates.
Muneribus meus est captus puer: at Deus illa
In cinerem, et liquidas munera vertat aquas.
Iam mihi persolvet poenas, pulvisque decorum
Detrahet, et ventis horrida facta coma.
Vretur facies, urentur sole capilli.
Deteret invalidos et via longa pedes.
Admonui quotiens, Auro ne pollue formam.
Saepe solent auro multa subesse mala.
Divitiis captus si quis violavit amorem,
Asperaque est illi, difficilisque Venus.
Vre meum potius flamma caput, et pete ferro
Corpus, et intorto verbere terga seca.
Nec tibi celanti fas sit peccare. paranti
Sit Deus, occultos qui vetet esse dolos.
Ipse Deus tacito permisit lene ministro,
Ederet ut multo libera verba mero.
Ipse Deus somno domitos emittere vocem
Iussit, et invitox facta nefanda loqui.
Haec ego dicebam: nunc me flevisse loquentem,
Nunc pudet ad teneros procubuisse pedes.
Tum mihi iurabas, nullo te divitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem:
Non tibi si pretium Campania terra daretur,
Non tibi si Bacchi cura Falernus ager.
Illis eriperes verbis mihi, sidera caeli
Lucere, et puras fulminis esse vias.

1 amores: amantes *Flo.* *Cyll.* *A₁* **3** a miser: ah miser *A₁ A₂* *Cyll.* *Mur.* si quis: si quis *A₂* **9** freta per parentia: per vela patentia *cods.* parentia per freta *Flo.* per freta parentia *A₁* per freta patentia *Cyll.* **13** persolvet: persolves *A₁* **24** sit: est *cods.* **25** lene ministro: lena magistro *W* lene magistro *Sta.* lena ministro *Sta.* **31** te: tibi *cods.* *Cyll.* **35** caeli: caelo *Vat.* **36** fulminis: fluminis *cods.* *Flo.* *A₁ A₂* *Cyll.* *Mur.* *Sta.* esse: ire *Vat.*

Quin etiam flebas. at non ego fallere doctus,
 Tergebam umentes credulus usque genas.
 Quid facerem, nisi et ipse fores in amore puellae.
 Sit precor exemplo sed levis illa tuo. 40
 O quotiens, verbis ne quisquam conscious esset,
 Ipse comes multa lumina nocte tuli.
 Saepe insperanti venit tibi munere nostro,
 Sed latuit clausas post adoperta fores,
 Tum miser interii, stulte confisus amari, 45
 Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.
 Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam:
 Et me nunc nostri, Pieridumque pudet.
 Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma
 Torreat, et liquida deleat amnis aqua. 50
 Tu procul hinc absis, cui formam vendere curae est,
 Et pretium plena grande referre manu.
 At te, qui puerum donis corrumpere es ausus,
 Rideat adsiduis uxor inulta dolis.
 Et, cum furtivo iuvenem lassaverit usu, 55
 Tecum interposita languida veste cubet,
 Sint externa tuo semper vestigia lecto,
 Et pateat cupidis semper aperta domus.
 Nec lasciva soror dicatur plura bibisse
 Pocula, vel plures emeruisse viros. 60
 Illam saepe ferunt convivia ducere Baccho,
 Dum rota luciferi provocet orta diem.
 Illa queat nullam melius consumere noctem,
 Atque operum varias disposuisse vices.
 At tua perdidicit. nec tu, stultissime, sentis, 65
 Cum tibi non solita corpus ab arte movet.
 Tu ne putas illam pro te disponere crines.
 Aut tenues denso pectere dente comas.
 Ista haec persuadet facies, auroque lacertos
 Viciat, et Tyrio prodeat apta sinu. 70
 Non tibi, sed iuveni cuidam, vult bella videri,
 Devoveat pro quo remque domumque tuam.

39 facerem nisi et: dicam quod ut *Vat.* *Sta.* faceres nisi et *cods.* *Mur.* faciam? nisi et *A₁* **41** verbis: vobis *Sta.* **44** sed: et *cods.* **51** curae: cura *cods.* *A₁* *Cyll.* *Mur.* **53** puerum donis: donis puerum *Flo.* **55** lassaverit: laxaverit *cods.* *A₁* **57** sint externa tuo semper: semper sint externa tuo *cods.* *Mur.* **60** vel: quam *Vat.* *W Cyll.* *Mur.* **61** ferunt: ferant *Flo.* *Sta.* **63** queat nullam: nulla queat *cods.* **67** putas: putes *Sf.* *W Cyll.* **68** aut: et *Flo.*

Nec facit hoc vitio, sed corpora foeda podagra,
 Et senis amplexus, culta puella fugit.
 Huic tamen accubuit noster puer. hunc ego credam
 Cum trucibus venerem iungere posse feris.
 Blanditias ne meas aliis tu vendere es ausus.
 Tu ne aliis demens oscula ferre mea.
 Tunc flebis, cum me vinctum puer alter habebit.
 Et geret in gremio regna superba tuo.
 At tua tum me poena iuvet, Venerique merenti
 Fixa notet casus aurea palma meos.
 Hanc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
 Dedicat, et grata sis dea mente, roget.

75

80

80 geret in gremio regna: reget in regno regna *Sf.* geret in regno bella *W K* **81** tum: dum *cods.* *Cyll.* Venerique: *Veneri ipsa Vat.* *venerique Cyll.*

ELEGIA X

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses. 1
 Quam ferus, et vere ferreus ille fuit.
 Tunc caedes hominum generi, tunc proelia nata,
 Tunc brevior dirae mortis aperta via est.
 At nihil ille miser meruit. nos ad mala nostra 5
 Vertimus, in saevas quod dedit ille feras.
 Divitis hoc vitium est auri: nec bella fuerunt,
 Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.
 Non arcus, non vallus erat, somnumque petebat
 Securus varias dux gregis inter oves. 10
 Tunc mihi vita foret: vulgi nec tristia nossem
 Arma, nec audissem corde tremente tubam.
 Nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis
 Haesura in nostro tela gerit latere.
 Sed patrii servate lares. aluistis et iidem, 15
 Cursarem vestros cum tener ante pedes,
 Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos.
 Sic veteris sedes incoluistis avi.
 Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu
 Stabat in exigua ligneus aede Deus. 20
 Hic placatus erat, si quis libaverat uvam,
 Seu dederat sanctae spicae serta comae.
 Atque aliquis, voti compos, liba ipsa ferebat.
 Postque comes purum filia parva favum.
 At nobis aerata lares depellite tela, 25
 Hostiaque e plena rustica porcus hara.
 Hunc pura cum veste sequar, myrtoque canistra
 Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.
 Sic placeam vobis. alias sit fortis in armis,
 Sternat et adversos Marte favente duces. 30
 Ut mihi potanti possit sua dicere facta
 Miles, et in mensa pingere castra mero.
 Quis furor est atram bellis accersere mortem.
 Imminet, et tacito clam venit illa pede.
 Non seges est infra, non vinea culta, sed audax 35
 Cerberus, et Stygiae navita puppis aquae.

3 tunc caedes: tum caedes *cods.* tunc proelia: tum proelia *cods.* **4** dirae: durae *Sf.* **9** arcus: acies *Sta.* **12** tremente: micante *cods.* *A₁* *Cyll.* **15** iidem: idem *Sf.* *Cyll.* *Sta.* **17** neu: nec *cods.* *Vat.* **18** veteris sedes: veteres sedes *cods.* *Cyll.* *Mur.* veteres aedes: *Sf.* *A₁* **19** tunc melius tenuere: sic melius te tenuere *Vat.* **23** voti compos: compos voti *cods.* *Vat.* ipsa: ipse *Mur.* *Sta.* **26** rustica: mystica *Cyll.* *Mur.* **27** hunc: hanc *cods.* *Cyll.* *Sta.* **28** vincta: uda *Sf.* **31** potanti: pacanti *Sat.* *cods.* *Vat.* **36** puppis: turpis *cod.* *Mur.*

Illic percussisque genis, ustoque capillo,
 Errat ad obscuros pallida turba lacus.
 Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
 Occupat in parva pigra senecta casa. 40
 Ipse suas sectatur oves: at filius agnos,
 Et calidam fesso comparat uxor aquam.
 Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
 Temporis et prisci facta referre senem.
 Interea pax arva colat. pax candida primum
 Duxit aratueros sub iuga curva boves.
 Pax aluit vites, et sucos condidit uvae,
 Funderet ut nato testa paterna merum.
 Pace bidens, vomerque vigent, at tristia duri
 Militis in tenebris occupat arma situs. 50
 Rusticus e lucoque vehit male sobrius ipso
 Vxorem plaustro, progeniemque domum.
 Sed Veneris tunc bella calent, scissosque capillos
 Femina, perfractas conqueriturque fores:
 Flet teneras subtusa genas: sed victor et ipse
 Flet sibi dementes tam valuisse manus. 55
 At lascivus Amor rixae mala verba ministrat,
 Inter et iratum lentus utrumque sedet.
 A lapis est, ferrumque, suam quicumque puellam
 Verberat: e caelo diripit ille Deos.
 Sit satis, e membris tenuem perscindere vestem:
 Sit satis, ornatas dissoluisse comas:
 Sit, lacrimas movisse, satis. quater ille beatus,
 Quo tenera irato flere puella potest.
 Sed, manibus qui saevus erit, scutumque, sudemque
 Is gerat, et miti sit procul a Venere. 65
 At nobis Pax alma veni, spicamque teneto,
 Perfluat et pomis candidus ante sinus.

37 ustoque: ruptoque *Flo.* **39** hic est: et hic: *cods.* et est *Sf.* **46** curva: panda *Flo.* **54** perfractas:
 confractas *cods.* **56** valuisse: evaluisse *Sf.* convaluisse *Flo.* **59** a lapis: at *Sf.* ah A₁ A₂ Cyll. Mur. **60** e:
 et *Sf.* *Vat.* *W K* diripit: deripit *cods.* **62** ornatas... comas: ornatus... comis *cods.* ornatus... comae *Vat.*
Flo. *W K* **68** perfluat: profluat *cods.* *Flo.* praefluate *cods.* *Vat.*